

templum aliquot pueri luderent, invento forte funiculo, Diana signum obligato collo per lulum trahentes, Dianam strangulari, dicitabant. Eos Caphyenses cum deprehendissent, lapidibus obruerunt: quod tamen factum non bene eis celsit: communis enim pestis feminis incepsit; ut omnes quae uterum ferrent, fetus per abortum abijcerent mortuos: neque autem malum cohiberi potuit, quam Oraculi monitu iussi sunt, sepulturae pueris honorem habere, & illis quotannis inferias mittere; quod insontes perempti essent.

*Imago.* Pausan. cap. 254. Iccircò sacris & templo arcentur pueri, ne iterum Diana laqueo suspendatur: cuius simulacrum habebat funem ad collum, & in capite sextile Lunae, ad pedes canem, ac in dextrà arcum sine sagittis. Pier. Valerian. 38. cap. 32. Historiam refert etiam Gyrard. *syn- tagm.* 12. n. 44.

20 Inter Aegyptios, 5. Phamenoth summè festivus propter sacra Deae Maxima. K. Aegyptiac. Quenam Dea Maxima divinare debemus. Isthoc nomen titulusque duntaxat invenitur apud Herodotum, 2. n. 12. Isis absolutè Dea Aegypti, at apud Kircher. intelligitur Venus Aegyptia, de qua infra. Sacrificium & victimae ritus profertur ab Herodoto, d. Quam igitur (infit) Deam Maximam esse censeant, & cui maximum festum celebrent; jam nunc dicam. Posteaquam jejunaverunt pridie festi, atque obdormierunt; bo-

rius sa-  
corum &  
victime.

vem immolant, eumque corio exuunt & alvo totà vacuant: intestina intra ventrem adipemque relinquunt: crura truncant & extremos lumbos, arnosque ac cervicem. His actis reliquum bovis corpus stipant panibus puris & melle, & vud passà, & ficis, & thure, & myrrha, atque alijs odoribus. Ubi hac insarserunt, adolent, multum vini oleique effundentes; jejuni tamen, priusquam sacrificent. Dum sacrificium ardet, omnes verberantur. Posteaquam vapulaverunt, dapes ex sacrificij reliquijs proponuntur. Boves mares, eosdemque mundos, ac vitulos universi Aegyptij immolant: at feminas eis immolare non licet; utpotè Isidi consecratas: nam Isidis simulacrum muliebre est, bubulis praeditum cornibus; quemadmodum Jo Graci describunt.

21 Quae à praefato Herodoto Dea Nephth. Maxima insignitur Isis Aegyptia, seu Aegyptia Venus, vel Venus caelestis, Urania, ac Caestis femina, pulchra & perfecta dicitur à Kirchero ex pluribus AA. Tom. 1. Oedip. Aegypt. *Syntagm.* 4. cap. 13. & Tom. 3. *Syntagm.* 1. cap. 5. Inter Coptos frequentiore titulo Nephth, de cuius sacris, varijsque imaginibus, fusè 1. Decembr. In Mensa Isiac. sunt ejus singulares imagines, illius virtu-

tum, munerum ac gratiarum hieroglyphica, utpotè inventa & excogitata in Aegyptiorum schola. Foemina pingitur respectu Solis superioris dominantis, sed in subditos vim masculam possidens: velato tutulatoque capite sedet in throno, cui substat figura Genij boni, adinstar Angeli, sive alati ministri, geniculati, in modum supplicis; in manu loti florem habentis, sicut ad pedes leonem; figuræque avis & crux anata. Etiam *ibid.* figur. 5. effigiatur foemina genuflexa cum canistro, & agathogenio figurà serpentis aspidis, & capite accipitrino alis expansis, bisulcæque flammà, quasi radijs. Similiter pingebatur imagine foeminae tendentis, pennam ibidis tenentis in dextra, cum loti, perfeaæque folijs intermedijs: cui adstabat Androsphinx, hoc est, figura leonihumana, alis conspicua. Nescienti mysteria, haecine videbuntur instructa à petulca phantasia, vel in risum ludicra. Si expositio desideratur, invenitur apud Antiquarium insignem, Kircher. *loc. cit.* & in Obelisco Pampphil. lib. 9. in *Hierogrammatism. Idear.*

22 Quasi tutelatrix, malorumque expultrix etiam ejus imago objecta, atque in caelo collocata; ut excussa in Aegyptiorum Zodiaco ad Hemispherium Boreale; ubi sedens obijcitur, cum scutica, tutulo, aspidibus variegato, & cruce anata; cum alia geniculata figura. Hieroglyphica delicat Kircher. d. Tom. 2. p. 2. *Class.* 7. cap. 7. Res sibi commissas curæ habet, & contra injurias defensionem suscipit. Sedet (ait) ad indicandam potestatem: scuticam in manu tenet, ad propulsationem malorum, arcane significandam: tutulum gerit germinibus compactum, ex quo serpentes emergunt; ad vitam & fecunditatem, quam confert, indicandam. Crucem anasatam gerit, ad influxum amplitudinem. Estque simulacrum alterius Numinis Tutelavis, genibus flexis, contra Draconem, ut protegat. Hinc etiam pingebatur duobus sceptris, in loti florem desinentibus: in quorum dextro Androsphinx collocata: in sinistro herba Modmodin, quam Mystæ vocant Sanguinem Martis, & Antidotum mortis; ut idem refert de *Herbis Aegyptior.* in *Theatr. hieroglyphico*, cap. 2. §. 34. & cuius saepe meminit Tabula Bembina. Sat ergo de Dea Maxima: alia alibi.

23 Hac etiam die juxta Abenephium in *Histor. Arab.* dirutum monumentum Zoroastri, quò ejus conditi cineres, Perlis ab ipso prænunciato omine integritatis & imperij permanentiae, si ibidem reliquie conditæ, ut vidimus 12. *Januar.* à n. 8. observat-

vat-

Apertum, ubi libri ejus inven-  
ti.

Præstigiæ.

Unde in corpore anime radij?

Alia simulacra.

Herba Modmodin.

Monimentum Zoroastri.

vatque Jacob. Boulduc, 2. de *Eccles. ante leg.* cap. 11. Aperto loculo hujus insignis Magi, inventi simul ejusdem fuffuris libri, qui sunt quatuor de *Natura*, de *Gemmis*, unus: de *Apotelesmatibus aëroscoptijs*, quinque, & etiam *Oracula*, seu *Symbola Chaldaica*. Juxta Eusebium, alter etiam liber, dictus *Sacer*. Juxta Constant. de *Re rustica*, alius de *Signifera*, & *significatione Tonitru*. Videtis Gyrard. de *Poetis*, *Dialog.* 2. *Plin.* 30. cap. 1. *Cœl.* Rhodig. 2. cap. 23-3. cap. 6. & 9. cap. 23. *Jul. Cæsar.* *Bulenger.* 1. de *Magia*, cap. 1. & 6. & *Diodor. Sicul.* 2. *Biblioth.* n. 9.

24 Tres fuisse Zoroastres, praefati AA. astruunt; sed nescitur cujus fuerint Oracula, seu Symbola. Arbitror ex tenore sententiarum fuisse Zoroastrem Pamphilum, seu secundum, dictum Proconnesium (non Chamum, vel Mesraim, de quo, doctrinæ commendatione, Magiæ præstigijs, ut fatuos seduceret; scribit Rhodigin. d. lib. 3. cap. 6. *Arbitrantur Chaldaeorum scientissimi à rationali anima id (quod non ferè mirabilis quicquam) quandoque effici quod radiorum splendore ab ipsa manantium, illustratum diviniore modo corpus; ita ut surragatur in sublime, ad id maximè conferente insita radijs levitate: quod Zoroastri, veteris Theologiae peritissimo centigisse, proditum memoria scimus. Ibid. ipse (dum cuncti Magiæ transfigurationem apparentem attribuant) asserit fuisse glorificationem, quod quidem ludicrum. Pende. Contingit hoc potissimum (infit) ubi tota in Deum, patrem luminum, consurgit anima, & illic amplissima luce perfusa collustrataque rapitur coruscans, atque similiter luminoso claritatis radios transmittit in corpus. Hac est anima quæ solâ mente vivens evadit Angelus, ac toto peccatore Deum concipit: de qua Magorum princeps (Zoroastres) ita cecinit, ad verbum ferè translata sententia: Hominum anima quodammodo Deum contrahit in seipsam; quando nihil retinens mortale, tota divinis hausibus inebriatur. Profectò doctrina sana & catholica, quam etiam denunciavit Plato in *Pimandro*, Hermodorus, de *Disciplinis*, Diogen. Laërt. in *Proœm. ad Vitas Philosophor.* & Suidas in *Zoroastr.* Longè tamen à Pithonismo, unde de foeminis fanaticis dicunt Poëtæ: Plena Deo.*

25 Oracula memorata Michael Pselus exposuit uberiore obscuritate. Hermippus de hujusmodi arte scripsit diligentissimè, & vicies centum millia versuum à Zoroastre condita, indicibus quoque voluminum ejus positus, explanavit: inquit Gyrard. d. *Mopdus ac stylus sententiarum haud olet diale-*

ctos idiomatis Assyrij, sed Aegyptiaci, ut constat ex Trismegisto, & Jamblico in *Aegyptiorum Mysterijs*. Thom. Stanlejus in *Historia Philosophia Orientalis* (quam ex Anglico in Latinum idioma vertit Joann. Crec) in *Proœm. lib. 4.* de hujusmodi Oraculis ait: *Sub nomine Zoroastri circumferuntur. Non desunt quidem qui ea quasi supposititia damnent, dicantque à Graculo Pseudo-Christiano conficta: fortè quia sectatores Prædici heretici dicitabant, se arcanos Zoroastri libros habere. Joannes Picus Mirandulanus agebat sibi esse ipsum exemplar Chaldaicum. Sit ergo vel non sit. A pluribus oracula sunt collecta, sed novissimè à Crec exposita notis selectioribus, & divisa per materias, quas apponerem cum symbolis, ni apud præfatum Auctorem facillè possent legi, sed difficilè interpretari propter obscuritatem. Proclus in *Timeum Platon.* asserit, hujusmodi Assyriam Theologiam à Deo revelatam fuisse. Sæpe his symbolis utitur ad explanationem sapientiæ occultæ mystarum Coptorum, eruditus Athanas. Kircher. in *Prodrom. Copto*, & in *Oedipp. Aegyptiaco*, ex AA. interpretibus, alijsque viris eruditionis singularis. Aliqua etiam dicemus 8. *Jun.* ubi memoria de *Mente*.*

## DIES VI. FEBRUAR.

GRad. 16. Aquarij, qui faustus exponitur à Darioto. Sub quo qui nati potissimè ex igne clamorata opera affabrè & scitè perficiunt. *Jul. Firmic.* *Crus dextrum Aquarij vesperè occidit. Junctin.* K. A. *Fidicula occidit, & Favonius ab occasu stat.* *Ptol.* *Ovid.* 147.

Quin etiam si quis Boream horrere solebat, Gaudeat: à Zephyris mollior aura venit. Est autem Favonius genialis mundi spiritus, qui Græcè Zephyros vocatur, flans ab occasu æquinoctiali adversus Eurum, sive Vulturum. *Plin.* lib. 2. cap. 47. *Flatus Favonij vernum tempus: lib. 18. cap. 25. & 26. Equarum à Favonio vento conceptu nobile: lib. 4. cap. 22. & 16. cap. 25. Candidus dicitur ab Horatio 3. Carm. Od. 7. v. 1. quia vernum aërem clementiorem facit. Torrent. hic: unde Lucret. 5. de *Rer. natur.* v. 701.*

It verè Venus, & Veneris prænunciatus ante Penmatus graditur Zephyrus. Olim ventis sacra fiebant, ut dicemus 8. *April.* *Alexandriae Zephyrus templo honoratus, ubi, ut ait Athenæus, pag. 245. lin. 13. & Dalecamp. in Plin. 7. cap. 37. litt. E. In templo Zephyri à Cresbio vas fabricatum, quod appul-*

VIII. Id.

Ovid.

Lucret.

Zephyrus, templum, &amp; vas.

pulsu aquarum eliso spiritu, & bellicum canebat, & hilares festivosque modos personabat. Vir ignem manu tenens. Sphaer. Arab.

Moyſes patri nunciatur.

& Domino de crastina morte moritur.

Secundaria gloria Samsonis de Philistinis.

2 Anno O. C. 2464. folicitus Amram de foetu uxoris Jochabed, e caelo roboratur: dictum enim illi: Puer iste cuius natiuitatis metu Aegyptij vestros fetus ad necem damnauerunt; tibi nascetur. Joseph. 2. Antiq. cap. 8. Vide 7. Maij, n. 3. Anno ab hinc 120. Moyſes monetur a Deo de proxima morte, nimirum in crastinum. Seder-Ol. cap. 10. & Leonard. Mar. in K. Deuter. 31. 14. Ubi tam ipsum, quam Josue stare iussisse Dominum in tabernaculo testimonij, dicitur; descendenteque nube, scribi canticum Deuteronomij praecipitur, Josueque in regimen durissimi populi confortatur. ibid. Vide postridie a n. 3. & 13. Octobr. n. 1.

3 Posterioribus temporibus, a morte Moyſis, ann. 297. & 2. sui Principatus, Samsonem quiescentem in spelunca Petrae Etham (ut videbitur, 6. April. n. 5.) Philisthaei auidè quaerebant ad necem. Briet. ann. 2881. Nesciebant quò esset; unde ut appareret, usi ampliore tyrannide in foederatos: igitur ascendentes in terram Juda, ultimam interminati sunt vastitatem, ni Samsonem dederent, geminae cladis auctorem. Illi ne tota tribus impeteretur bello, & damni illati apud dominantes ulla essent in suspiciones; cum tribus millibus ad petram Etham veniunt, causam exponunt, rogantque ut se dignetur ligari (in sententia Josephi lib. 5. Antiq. cap. 10.) & praemisso juramento, descendens de petra, in cognatae gentis potestatem se permisit. Vincula ipse induit lubens, duplicique ligatus fune, & novo fortiter perplexo, ad Philisthinorum prope castra adductus est, nimirum usque ad torrentem Sorec, descendentem in Palestinam per Vallem botri. Ad spectaculum multi convenerant, ut usque ad satietatem opprobrijs vexarent, & tormentis divexarent: sed cum proxima esset traditio juxta locum ex facinore sequenti, vocatum Lachi, in conspectu urbis Hirsemes, quae dicta Civitas Solis (Josue 19. 41.) repente Samson excussos funes abruptit, arreptaque quae forte jacebat in campo, asini mandibula, ex letis futura spe, spectatoribus, mille solus trucidavit, dissipatis fugam reliquis, ac victoriam exultans, nullo invadente, projecit maxillam; quapropter locus deinde appellatus Ramath-lechi. Raschi, & Abrah. Zachut in Juchasin, ex Judic. 15. a 9.

4 Exercitio lassus ac sitiens, haud (quia ibi aqua non erat) poterat refocillari: unde

ad preces ejus e dente projectae maxillae fons erupit, qui deinceps perennis in tantae victoriae monumentum. Joseph. d. & Adrichom. in Dam, n. 43. 47. & 57. Meminit Hieronym. in Epitaph. Paula. Josephus ut aliquid novi citra veritatem proferret, subdit: Victoria plus satis elatus, & opis divinae immemor, cum totum sibi tribueret, quod maxilla tantum armatus fudisset, ac fugasset hostiles copias; ingenti sui oborta, confessus, nibili esse quantastibet vires humanas; Deo victoriam acceptam retulit: supplexque rogavit, ut arrogantia data venia, succurreret, & periculo se eximeret. Nec irrita fuere preces; sed copiosus fons subito e quadam petra prorupit. Si e dente maxillae, jam aperte mentitur; sicut in arrogantia facta: dicitur enim v. 18. Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam; & en sui morior. Resutavi, Tom. 4. T. 13. n. 6. Chrysoſtom. Homil. 15. ex varijs locis Matth. asserit, fontem erupisse e maxilla, cum ille haberet in manu. Vide Serar. hic a quaest. 11. Tertullian. lib. 5. contra Marcion. succinit:

Pro populo solus, nullo mucrone, nec armis, Os retinens asini, prostravit corpora mille.

Briet. ann. 2885. astruit per tres annos Samsonem nullam hosti intulisse hostilitatem, sed tantum munere functum judicando Israelem; quotusque ut illis illuderet ingressus est in illorum metropolim. Adi diem 14. n. 2.

5 Post annos 107. in Brietij calculo, hoc eodem die & in eodem loco Maxilla dicto, uti asserit Josephus, 7. Antiq. cap. 10. Sebas, quem Scriptura vocat Semman, in primo bello contra Philisthim, Davidis tempore, cum ab illorum agmine fugerent Israelites; in agro lente pleno, Dei virtute (ut asserit Sanctius) adversus cunctos stetit, ac vicit, faciente Domino salutem magnam in Israel. 2. Reg. 23. a 11. Antilogiam offendimus: igitur hic, v. 12. ager dicitur, lente plenus. 1. Paralip. 11. 13. Plenus hordeo. Licet nonnulli dicant partim hordeo, partim lente seminatum; non placet. Non ab uno facinus gestum, sed ab Eleazaro occisi sunt Philisthaei, in agro hordeo pleno: a Semma in agro, lente; ut constat ex contextu. Deindeque explicatur, v. 14. ubi: Hi steterunt in medio agri & defenderunt, &c.

6 Post duos menses ab ejectione Simonis, templi praefecti extra Jerusalem, qui malignitate adversus Sanctum Oniam discoloris cuncta sacra ac politica perturbabat, ut dicemus, 11. Decembr. n. 4. & ferè annum a flagellatione Heliodori per Angelos, de quo, 22. April. a n. 6. sexto Adar praefatus Onias processit in Antiochiam ad Seleucum,

Fons Samsonis.

Victoria Semmae.

Antilogia.

Onias Saulus venit Antiochiam ad Seleucum.

cum. Rancin. ex 2. Machab. 4. a 1. Ex audacia Heliodori etiam de caelo coercita, vires assumpsit Simonis praefati malitia: igitur ut apud cives male audiret Onias, quae ipse fecit, a Summo Sacerdote factum in populo sparsit, illum insimulans proditoris in suos, quasi Pontifex advocasset spoliatores populi & templi: favente simul Simonis factioni Apollonio, Duce Coelesyriae, qui furebat, eò quod frustratum coelitus sacrae pecuniae subtractionis propositum. Quapropter ut compesceret auctoritate regia, quae gliscebatur intra Jerusalem, pestem; profectus est Onias ad Seleucum Philopatorem, qui prius misso exercitu Heliodorum iusserat templi avarium exhauriri; ut scandala tollerent, & pacem eiectione extra Judaeam Simone, in urbem introduceret. Accevit petitioni Seleucus, & Onias diluens Simonis calumnias, potitus est voto. Serar. Alapid. & Sanctius hic, n. 2. Intercessione Heliodori, qui per Oniam vitam fruebatur factam gratiam, refert Briet. Ann. 3671. Fallitur Philo, cum dicit De temporib. p. 2. tunc Oniam a Seleuco templo spoliatum.

Hyrcanus cum Romanis renovat amicitiam.

Et cum Spartiatis.

7 Abhinc anno 58. juxta Torniel. eodem in die, postquam reversus a Babylone transacto triennio, missis tribus legatis, Joannes Hyrcanus societatem & amicitiam impetravit a Romanis. Joseph. 13. Antiq. cap. 17. Solicitata ergo, sicut a Majoribus fuerat, ut magis se communiret Hyrcanus adversus Reges Syriae & Aegypti. Voto potitus est, quoniam non solum Senatus optata concessit, sed insuper rescindit quaecumque attentata per Siderem in Parthia occisum, ut vectigalia annua, & reliqua omnia: ita ut Judaeis restituerentur Joppe, Gaza, portus, fontes, atque urbes Palaestinae; quin deinceps Syriae Reges ullam potestatem exercent in ditione Judaeorum. Datis ergo literis commendatitijs ad eos, per quorum loca erant transituri, & de publico pecunia ad viaticum, Praetor honoratos Senatus nomine remittit in patriam. Idem ibid. Torniel. Salian. & Briet. Ann. 3926. & Genebr. 3983. Juxta Ruffin. in versione Josephi, lib. 14. cap. 17. etiam adsignatur hoc in itinere renovatio praescae amicitiae cum Lacedaemonijs. Decretum (inquit) inimicis nostri populi sententiam, petens custodiri vel ampliari nostras cum Judaeis amicitias, ut meminere Hyrcanus Princeps Sacerdotum gentis Judaeae, ex temporibus Abraham, qui omnium Judaeorum patrem extitit, nostros Majores amicos eis fuisse, sicut in publicis conscriptis invenimus. Idem Serar. in Commentar. 1. Machab. 12.

8 Anno Christi 32. postquam in montem fugit, ne a turbis, quas paverat, constitueretur Rex, ut pridie relatum, n. 10. ad illas redijt die sequenti, ac occasione panis, seipsum dicens panem vivum & verum, proposuit mysterium Fidei; de quo inter nonnullos ortum scandalum, verum excepto Iscariote, longè a ceteris Apostolis. Unde pro cunctis Petrus: Verba vitae aeterna habes, & nos credimus. Castell. ex Joann. 6. 69. Anno 33. docetur a Christo adolescens de paupertate Evangelica. Alapid. n. 55. Certum profectò, in ejus ann. 31. hunc diem fuisse trigessimum jejunijs facti.

9 Romae dies ater. V. Kalend. Roman. Non solum dies Aegyptiacus, quippe post Nonas; sed etiam propter infausta, quae in illo contigerunt. Ann. v. c. 271. stuprum ac supplicium Opimiae Vestalis. Gruter. in Thesaur. critic. Opimiam vocat Halicarnasensis; Pompiliam, Brietius; Oppiam, Tit. Livius. Invisus militiae Romanae erat Consul L. Valerius, propter accusationem atque necem Spur. Calsij, de quo 7. Januar. n. 21. Unde nihil egregium fecerunt, coram habentes hostes Volscos & Vejos. Ab utebantur viribus, inter semetipsos certando (refert Liv. 2. a sect. 131.) Accessere ad agras jam omnium mentes prodigia caelestia, prope quotidianam in urbe agrisque ostentantia minas: motique ira Numinis, causam aliam Vates canebant: publice privatimque, nunc extis, nunc per aves consulti, quam haud rite sacra fieri: qui terrores eo evasere; ut Oppia virgo Vestalis damnata incesti poenas dederit. Quae prodigia, & eandem causam exprimit Halicarnasensis. Interea (inquit lib. 8. cap. 58.) dum haec in castris geruntur, in urbe observata sunt multa prodigia, Deorum iram significantia. Exaudire omnino vocem incerto auctore, observata oculis nova spectrorum facies: quae omnia eo tendebant, ut creditum. Variis simul consultis, & Pontificibus, Deos offensos esse, quorum sacra non rite fierent. Quam ob rem magna inquisitione sectata; tandem indicium ad Pontifices delatum est, unam Vestalium, ignis sacri custodem Opimiam, amissa virginitate, sacra pollueri: cuius criminis vera confessione quaestionibus expressa, alijs quoque argumentis convictam, traduxerunt per medium Comitium, dempta prius capiti corona suis manibus, vivamque defoderunt in specu. Duos vero ejus corruptores flagitij coargutos, confestim necaverunt, verberatos publice: quo facto, mox litatum est; & Vates responderunt, placata jam esse Numina. Idem Briet. ann. praecit.

Christi gesta.

Ejusse junij dies XXX.

SivO

Opimiae Vestalis supplicium.

Ostenta in manifestationem sceleris.

M. v. c.